441

107

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, *manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo mensis Martii, anno Domini* M. DCC. XLIX.

M. JOANNE-CLAUDIO-ADRIANO HELVETIUS, Regi à Sanctioribus Consiliis, Reginæ Medico Primario & Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, Doctore Medico, Præside.

An abstemii carnis privationem faciliùs ferunt?

I.



DANAIDUM opus, nutritio: repleri, depleri, alternæ vices: hâc lege vivimus: nec nocte, nec die feriari licet: nullæ induciæ: inscii deterimur; reficimur aliud aut nihil cogitantes: nec minùs bellè ac prosperè se res habet, ac si cogitaremus; modò rectam sequamur naturam. Vesci igitur aut mori, non datur tertium. At sunt tempora vescendi. Diviti (aiunt) quando vult; egeno quando potest. Væ utrique nî esuriat. Signum det sola fames: tunc alimenta quæcumque, optima, si parata, si ad manum. Non ideò credam singula æquè Euchyma, Eupepta æquè, æquè concoctu facilia. Alia sunt optimi succi; non tam boni alia. quædam pravi. Respuenda nec temnenda ulla, ratione loci, tempestatis, consuetudinis, ætatis, temperamenti, rei familiaris, ac necessitatis quâ nulla magis suprema lex: atenim non solo pane vivit homo, sed omni escâ quam illi paravit Altissimus. Sunt quæ sine apparatu possunt in nutrimentum levi operâ cedere: v. g. fructus, olera, radices, conchylia quædam, aquea omnia: sunt obsonia quæ doctam & artificem periti coqui artem & industriam expostulent. Nec illis invide; cave potiùs, nî vis incidere in manus Medici. Qualia & quæcumque seligas, potu opus est: absque potu cœna vel opipara, res pessima. Cibi, non integri nutritii: solus succus in illis contentus alit. Diluatur necessum est, ut vasa corporis minima permeet, & ad loca detrita perveniat. Quò magis diluetur, eò feliciùs cedet reparatio. Indè nimis non ingere: satis pota, salubriter pota. Potus vulgò non tam multiplex quàm cibus. Utinàm unicus! Unam pro omni animâ vivente potionem, finxit aquam Natura, eamque in propatulo posuit. Mille invenit ac conquisivit voluptas Regina. Naturæ munus aut respuitur, proh dolor! Aut alteratur. Inter potus diversos tamen nullum inesse delectum cave credas: Seligendus procul dubio ille cujus ministerio Eupepta æquè ac Dyspepta, optimi pariter nec tam boni succi alimenta digerentur, concoquentur, & in laudabilem chylum convertentur, imò prava, si quæ sint, emendabuntur, & tolerabiliora reddentur.

I I.

OMNIS generis cibos, præter carnes plerorumque quadrupedum & volatilium animantium (si pauca ea excipias quæ communem in aquis & in aëre vitam degunt) sibi vindicat carnisprivium. Sic non parva sanè familia cedit in obsonium; Radices, olera, flores, fructus, semina, cortices, caudices suppeditat regnum vegetabile. Quot quamque diversis dapibus nostras onerat mensas regnum animale? Condiendis utriusque generis esculentis non sufficeret utrumque, nî tertium vires socias adderet & minerale. Dulcia suâ naturâ ferè omnia ac penè insulsa atque insipida singula hæc alimenta, nî acrioribus condimentis nativam indolem amitterent, peregrinam stimulantem induerent. Indè quædam bona, jucundo potiùs quàm sapienti artificio aliquid de suâ bonitate deperdunt, ut pisces teneri pauco sale respersi: alia minùs bona, ut quidam pisces & volatilia nonnulla quæ oleaginosâ pinguedine redundant, acriori piperum, zingiberis, aromatumque conditione, atque aceti citrive stimulo austeriora facta, deteriora evadunt, atque flammas & incendia quaquaversùm portare idonea. Alii cibi pravi, pessimique succi, ut pisces cartilaginei, saliti & fumo aut sole exsiccati induratique, & naturâ & arte facti detestabiles. Edulia non desunt bona & optima quæ quamvis simplici apparatu parata, in usum tamen quotidianum nec sine fastidio nec sine sanitatis evidenti noxâ cedere queunt; qualia sunt ova gallinarum, &c. Olera pleraque plurimasque dapes nollent apponere, nî butyro frixo cum porris, allio, cæpis, aceto, omphacio, citro, capparibus, atque cucumeribus aceto & muriâ saturatis sopitum obdormientis palati gustum suscitarent. Cerealia tam innocua quamvis sint sine crimine vitæ, cur adeò malè audiunt? Gravia sunt, aiunt, flatulenta, pauperis ac gravis succi, ut Pisum, Faba, Phaseolus, Hispanus, Nostras, Helveticus, Lens Pelusiaca, orysa, milium, hordeum, mays, & alia semina quæ mundata tenui cortice, cum lacte & butyro decoqui amant. Attende ad potum. Hæc omnia & cujusvis generis alimenta quemcumque naturâ vel arte saporem obtinuerint, bona evadent meliora, minùs bona bonitatem novam adipiscentur; prava si non bona, deteriora minùs evadent. Elige inter diversos potus qui hæc valeat procurare commoda, & habebit Abstemius undè possit sanus & bené valens tutò irridere carnisprivii detrectatores.

I I I.

PORRO habet ille Abstemius qui puram & illimem, levem argenteamque potat undam, undè valeat in ventriculo deteriora corrigere, & duriora facili negotio concoquere alimenta; è minùs bonis succum laudabilem elicere, ex optimis optimum chylum & inculpatum. Aquam non elementarem, (nullibi enim in rerum naturâ tantæ puritatis reperitur) sed simplicem & vulgarem, quæ ubiquè prostat, norunt omnes esse corpus fluidum, pellucidum, inodorum & insipidum. Partium figuram quis vidit? Anguillarem volunt quidam: soliditatem, plurimi afferunt elasticam & flexilem: duram & rigidam flectique nesciam nonnulli autumant. Quidquid sit & de figurâ & de soliditate ab effectibus constat, eas esse debere summè læves ac lubricas, & proindè mobiles atque per minima interstitia pororum corporum irrepere maximoperè habiles & idoneas. Talis erit si non impuro diversarum terrarum aut mineralium connubio contaminetur. Hinc fluvialis quæ volvendo deberet fieri melior non semper omnium præstantissima; fontium quorumdam sæpè præstat potus. Ab illo pluvialis si purâ nitidâque cysternâ excipiatur: putealis non proscribenda; deteriores habe nivales & palustres. Optimam cense quæ limpida est, tenuis, levissima, non dicam saporis prorsùs, sed odoris planè expers,

quæ ventriculum non gravat; quæ citò renes permeat; quæ citò effervescit, non minùs citò defervescit ac refrigeratur: quæ carnes, olera & legumina celeriter concoquit, & quæ smegmati intimè unitur atque permiscetur. Trismegisti verè hujusce menstrui ope ludus erit Abstemio cerealia permolere, conchylia viva, radices incocto succo turgidas, olera virentia, pisces salitos quosdam crudos, fructus à fortiori & cætera quæcumque igne coquuntur, facto laudabili chylo, in propriam convertere substantiam. Placidè ab invicem dissociabuntur partes farinaceæ, aër non ultrà modum rarefactus facilè evolvetur, se explicabit, nec tumultuariè, nec tandem susdequè in flatus erumpet, citiùsque devolventur fæces, quàm aër (qui nonnisi longiori morâ totus elicitur) possit integer rarefieri. Verùm apage condimenta vino & cæpis simul permixtis, & butyro asso tostoque percocta. O dura quæ talem digerere poterunt muriam ilia! Si quis tamen certare tentet, vincet Abstemius vel Sileno judice. Non perhorrescet ille deteriora cujusvis conditionis alimenta, si meliora non habuerit. Deque suâ securus digestione, amicâ auxiliante aquâ, œnopotis opus insuperabile aggredietur. Immersi aquâ solventur de facili sales illi acres, alkalini fervidâ ustione redditi. Liquido prorsùs insipido & dulcissimo extincti, dissociati, ac sparsim innatantes vim nativam obliviscuntur dediscuntque singuli nocere qui priùs uniti numero erant & multitudine formidabiles. Alimenta enim vel propriâ peccant duritie vel crassitie succorum alibilium quos continent, vel corruptione partium è quibus celeriùs quàm par est, & nimiâ quantitate evolvuntur sulphura & sales, & vividiùs evehuntur nervosamque ventriculi quam suâ subtilitate facilè penetrant substantiam lacessunt, vellicant, irritant. Irrita hæc omnia facit aqua ferè nihil agendo. Inter tot hostes unione suâ solâ superbientes, leniter sese insinuando, singulos debilitat & sine viribus effœtos reddit, unàque cùm fæcibus per omnia corporis incernicula foràs per alvum, per vesicam, per spiracula cutis tanquàm rejectanea, præcipites deturbat. Sola pars alibilis, si quæ sit cum illis permixta, suâ mucagine retardata, ubi opus est locis detritis se applicat, & mediante aquâ de pessimo nihil retinetur alimento, extricatis partibus nocivis, nisi sola pars nutritia. Crassior si remanet eodem mediante menstruo aut nullo solvetur. Quid in rerum naturâ potentius minima subire corporum interstitia. Da moram: nihil tam durum quod sensim non emolliat aqua: nihil tam spissum quod paulatim non diluat: nihil tam pravum, si meliùs reddere fas est, quod non corrigat.

IV.

CONTRA quid non mali reformides à vini, siceræ, cerevisiæ, pyracei, pomacei, aut spirituosæ familiæ liquorum potu? Ubique eadem resonat querimonia: acoribus fervida æstuant præcordia: flatibus rumpuntur ilia, tantùm non mediùs crepat ventriculus, adeò ructibus & borborygmis torquetur indefessè. Tam laboriosæ digestioni reparandæ succedit vespertinis horis, ex oleribus pomisque crudis cœna brevis, siccatis sole aut furno fructibus & racemis concoctu difficilior reddita. Quidnî hæc omnia effervescerent in ventriculo latice vinoso quocumque irrorata? Locus clausus, calidus, humidus, ventriculus: quis locus fermentandis rebus magis idoneus? Cerealia, farinacea, succo viridi & indefœcato turgentes herbæ, putrescentes è facili carnes piscium; quæ substantia fermentari aptior? Acetum, omphacium, citri succus & cætera ejusdem indolis condimenta; inter hæc omnia vinum aut liquores vinosi pro potu permixti, quodnam menstruum promovendæ violentissimæ fermentationi habilius? Felices quibus tam inauditâ farragine non quaquaversum explodantur præcordia! Quî alimenta non acescerent? Perfectiori

miſcelâ certiorique aliquo apparatu, poſſet ne promoveri ex conſulto meditata fermentatio? Adde quod eo diuturnior & vividior eſſe debet illa fermentatio, quòd aceto & vino ſaturata hæc alimenta & muriis acribus indurata diutiùs evolutioni fermentationis renitantur & obſiſtant. Eia age ergo quî non æſtuarent præcordia? Quî non ferveret bile jecur? Quinam ſuccus inde elicietur niſi ſuccus ardens, nullatenuſque alibilis? Inde acores perpetui, ructus acidi, hypocondriorum tenſiones, gravitates κόποι πονοὶ, laſſitudines, hemicraniæ, inſomnia & morborum ilias. Mitte merum: præſto ſit rivuli prætereuntis aqua; ſanus eris. Brevì maximum extinguet incendium: partes igneæ quibus fœta omnis fermentatio immergentur; diluetur pars extractiva alimentorum quæ ſola nutritia. Subſidet omnis effervescentia lenique torturâ educetur ex omni regno ſuccus & alibilis & laudabilis.

V.

AT *nil niſi dura Deus promiſit aquæ potoribus?* Cave, reponet alter, ab abſtemio. Vir potens in omni opere vir abſtemius. Non defuerunt qui canerent hymnum aquæ, ἄριστον μὲν ὕδωρ· verùm mittamus Poëtas & fabulas. Undè niſi è perfectâ quam procurat digeſtione, peſtis eximium habetur prophylacticum? Eruditam Clariſſimi Geoffroy, Theſim de aquâ conſule. Undè ſævientis illius & truculenti flagelli antidotus unica? Undè Franciſcanus quidam apud Melitenſes omnes fere morbos unico ſed largo aquæ potu (ſublato prorſùs per triginta necnon & ſexaginta dies omni cibo) profligare tentavit, nec ſinè ſucceſſu? Vim aquæ in corrigendis humoribus pravi moris non ignoravit Medicus Anglus, Illuſtris Doctor Hancock, qui gelidam propinabat in curandis febribus tùm continuis tùm intermittentibus mali moris ad ſudorem uſque epotandam. Quin & morbillos varioláſque non aliâ debellare ſolebat Panacæâ. Elutriendis omnibus corporis vaſis, diluendis humoribus operam unicè dare partes ſolas Medici eſſe crediderunt (nec forsàn immeritò) de cætero rem integram naturæ eſſe committendam autumarunt. Quid non inferemus ex hiſce experimentis? Epota largo hauſtu valebit aqua venenata peſtis miaſmata obtundere! Tam diræ luis prophylacticum erit eximium! æſtuantes in venis febrilis fermenti paroxyſmos compeſcet, aut continuæ febris extinguet incendia! deleteriam varioloſi tabi energiam aut tragicos morbillorum dolos deludet! Nec poterit alimenta quæ (ſi injuſſa) in delicias expeterentur, ſolvere felicique digeſtione in noſtram & laudabilem convertere ſubſtantiam? Quis credat? Experti centiès loquimur. Experiatur bonâ fide quicumque veritatis amans ſibi non quæret illudere. Non ibimus inficias quibuſdam temperamentis etiam hâc arte uſis nocuiſſe talem victûs rationem. Abſit ut his hunc victum præſcribere mens ſit, at rara firmant regulam. Eſt qui viſo cuniculo deliquium animi patitur, penè ἀψυχίαν: è conſpectu tolle cuniculos: benè ſit. Ergò cuniculi erunt reprobandi: abſit. Erunt profectò quibus nocêt carniſprivium, at rari, ſi quos gula delicatiores facit exceperis.

Ergò abſtemii carnis privationem faciliùs ferunt.

Proponebat Pariſiis MARTINUS NOUGUEZ, Adurenſis, è Comitatu Armeniaco, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1749, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1749.